

super omnia est religioso viro appetenda, nullus enim sine illa potest in dei servitio prosperari. De his duobus“, inquit, „exempli causa proferam vobis gratiam, quae mihi ipsi data est a domino. Cum onus officii celerariatus annis iam quindecim sustinuissem, pro absolutione eiusdem instanter rogavi. Divinae vero me potius voluntati me subdere volens, stans in oratione a domino consilium postulavi. Tunc dominus Iesus apparuit mihi quasi rubentibus et adhuc recentibus vulneribus suis et ait mihi: ‘Non est meus verus amicus, qui mei servitii recusat portare onus.’ Et iterum: ‘Meum est’, inquit dominus, ‘tibi providere et omnia necessaria procurare. Tu vero serva iustitiam in dicto et facto et ego in omnibus tecum ero.’ His auditis ego idem officium resumpsi et postea aliis decem annis administravi. Quapropter a domino consecutus magnam gratiam et nunc confidenter expecto mercedem aeternam. Alterum de orationis instantia appetenda subdo vobis exemplum. Quadam vice post completorium audiui harmoniam caelestem ineffabili modo dulciter resonantem. Postquam illa finem accepit, beata virgo apparuit dixitque mihi: ‘Odor tuae devotae orationis attraxit me et ideo ego ipsa veni cum virginibus meis canentibus ad consolandum te’.“ Postremo felix instructor Conradus ex his duobus praemissis conclusit dicens: „Ergo, filii mei carissimi, laborem corporalem patienter pro Christo sustinete et devotae orationi assidue insistite.“ Ut cessavit loqui, interrogaverunt eum iidem ministri dicentes: „Pater bone, placetne vobis, ut circa vos vigiliis nocturnas custodiamus?“ Ille respondit: „Non est mihi modo opus.“ Et ostenso quodam iuvene nomine Riberto tunc etiam in infirmitorio decumbente de ipso sic ait: „Ad hunc iuvenem diligentius respicite, quia ipse ante me egressurus est e corpore!.“ Veritatem dicti probavit eventus, nam idem Ribertus nocte eadem mortis debitum persolvit, sicut beatus Conradus praedixerat.

Cap. 27 [Beatus<sup>k</sup> Conradus moriturus deum rogat, ut a terroribus daemonum liber evadat et anima in suo exitu a beatissima virgine deducatur]

Appropinquante igitur termino peremptorio, quo homo dei Conradus sentiret se communem carnis metamorphosim, id est transmutationem, iam subiturum, ferventissimo desiderio optavit, ut iter, quo anima ipsius migratura erat ad patriam, foret ab incursu daemonum liberum et

---

j) *dahinter gestrichen* Nec cecidit unum folium ex *W<sub>1</sub>*.    k) *davor gestrichen* Conradus impetrat moriturus a deo liberari a praestigiis terriculamentis daemonum et conductum beatiss(imae) virginis Mariae *W<sub>1</sub>*.